

enim dubitat personatum, dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum dispositionem ad Romanum pontificem adeo libere et plenarie pertinere, quod non solum ipsa beneficia, dum vacant, de iure conferre possit, verum etiam ius ad ea tribuere vacatura, et tanto amplius ad ipsius Romani pontificis collationem beneficia apud sedem apostolicam vacancia pertinent^z, quanto specialius antiqua ipsius^a consuetudo reservavit.

Cum igitur utraque dicte prepositure vacacio, scilicet iuris et facti, domino pape ius adquisierit ipsam conferendi, iuris per lapsum temporis, facti per resignacionem in manu sua factam, quis dubitet ipsam domino meo rite et racionabiliter esse collatam?

Quocirca vos^b supplico, pater^c ac domine^d reverende^d, quatenus deum et iusticiam ac sedis apostolice reverenciam pre oculis habentes vos de presentationis frivole cognitione amplius in preiudicium sepedicti domini mei, domini prepositi, non intromittatis nec in dubium revocetis, quod auctoritate superioris est provide diffinitum, ne si fortassis, quod absit, secus faceretis, idem dominus meus sedi apostolice conqueri cogeretur.

z) pertinet Hs. a) *eher* ipsius *als* ipsis *zu lesen* Hs. b) *über der Zeile*
Hs. c) *folgt gestrichen* ad Hs. d) *eher zu lesen* domino reverendo Hs.